

ASSERTIO LXI.

Humanitas Christi existit propria creatura. Scotus 2. dist. 6. quest. 1. cum suis, & recentioribus, contra Thomistas.

Probatur. Humanitas Christi pro sui causa efficiente habet DEUM, & Beatissimam Virginem MARIAM; atqui causalitas causa efficientis terminatur ad existentiam humanitatis, non increatam, hæc enim efficienter causari nequit: ergo ad creatam. Item existentia increata Verbi divini in Christo est æterna, necessaria, independens, & immutabilis; atqui existentia humanitatis Christi est temporalis, contingens, dependens, & mutabilis; ergo humanitas Christi non existit per existentiam increatam Verbi divini, sed per creatam, & propriam.

Obicitur I. Sancti Patres in Christo agnoscunt unam existentiam scilicet increatam Verbi divini: ergo humanitas Christi per eam formaliter existit. Resp. Sanctos Patres accepisse existentiam pro subsistentia Personæ, non pro existentia naturæ; cum enim Christus sit una persona, unam tantum habet subsistentiam; at verò, quia in Christo sunt duæ naturæ, Divina, & humana, ita quoque duas habet existentias, Divinam, & humanam.

ASSERTIO LXII.

Christus ut homo est verus Filius Beatissimæ Virginis Mariæ per Filiationem creatam. Scotus 3. dist. 8. unica, Scotista, ac recentiores passim contra Thomistas.

Probatur. Filiatio, qua Christus ut homo dicitur Filius Beatissimæ Virginis, est temporanea, accidentalis, & terminata ad Beatissimam Virginem, atqui Filiatio increata Christi non est temporanea, sed æterna, non accidentalis, sed substantialis; non terminata ad Beatissimam Virginem, sed ad Patrem æternum; ergo Christus ut homo non dicitur Filius Beatissimæ Virginis per Filiationem increatam, sed creatam, cum sit intrinsecè Filius; Deinde si pater, vel spiritus Sanctus fuisset incarnati, etiam dicerentur Filii Beatissimæ Virginis, non per Filiationem increatam, quam non habent; ergo idem dicendum de Christo.

Obicitur I. Subjectum Filiationis est solum suppositum: atqui Christus est tantum unicum suppositum, scilicet divinum, quod est incapax Filiationis creatæ recipiendæ; ergo Christus Filiationem creatam non habet, adeoque per increatam dicitur Filius Beatissimæ Virginis. Respond. dist. maj. subjectum denominationis est suppositum; Conc. maj. inhærentis neg. maj. nam natura humana in Christo est subjectum inhærentis Filiationis creatæ; & subjectum denominationis est Christus.

ASSERTIO LXIII.

Anima Christi per scientiam beatam cognovit saltem habitualiter omnia in Verbo Divino, quæ novit Verbum Divinum. Scotus 3. dist. 14. quest. 2. cum suis contra Thomistas.

Probatur. Potuit Verbum Divinum animæ Christi ostendere omnia saltem habitualiter, quæ novit Verbum divinum, dicitur insuper, ut ostenderet, quia Christus est Filius DEI, Caput, Juxta, & Finis universorum; ergo ostendit omnia saltem habitualiter, quatenus Verbum Divinum paratum est; omnia, quæ novit, successivè representare animæ Christi, videtur enim implicare, quod anima Christi, actu simul omnia videat, quæ videt Verbum divinum, cum ad hoc requiri videatur infinitus intellectus, & infinita visio, & attentio.

Obicitur I. Doctor subtilis citè probabilè judicavit sententiam doctorem, quod anima Christi defacto simul omnia videat in verbo divino, quæ videt Verbum divinum; ergo. Respond. Scotum hanc sententiam judicasse probabilè ex reverentia, & devotione erga Christum, non tamèn ut probabiliorè, cum loco citato subjungat: Quod si hic dicendi modus non placet, potest dici, quod videat omnia, si non actualiter, saltem habitualiter. II. Si anima Christi non vidit omnia simul: ergo habuit aliquorum ignorantiam. Resp. neg. seq.

ASSERTIO LXIV.

Anima Christi fuit sancta formaliter per gratiam habitualem sanctificantem creatam. Scotus 3. d. 13. q. 1. & 2. cum suis, contra Thomistas, & recentiores.

Probatur. Juxta Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. reddere sanctum effectus formalis primarius gratiæ habitualis crea-

tæ; atqui etiam juxta Adversarios, anima Christi habet gratiam habitualem creatam; ergo per hanc erit formaliter sancta, & non per unionem hypostaticam; cum idem effectus formalis in eodem subiecto nequeat à duplici causa totali procedere. Deinde effectus formalis unionis hypostaticæ tantum est unire humanitatem Christi Verbo divino, sed hoc non est esse formaliter sanctum; seu habere jus proximum ad gloriam, cum etiam natura humana in puris naturalibus potuisset hypostaticè uniri Verbo divino, quæ tamen non fuisset formaliter sancta; ergo non unio hypostatica, sed gratia sanctificans tribuit sanctitatem formalem creatam.

Obicitur I. Sancti Patres asserunt animam Christi fuisse sanctificatam per unionem hypostaticam. Resp. dist. sanctitate personali, & substantiali C. accidentali neg. II. Unio hypostatica tribuit jus ad gloriam. Resp. D. Jus radicale, & remotum C. formale, & proximum Neg.

ASSERTIO LXV.

Gratia sanctificans animam Christi, fuit summa de potentia DEI ordinaria; potuisset tamen de potentia Dei absoluta adhuc intendi. Scotus 3. dist. 13. qu. 1. 2. 3. & 4. cum Scotistis.

Probatur. Potuit DEUS animæ Christi conferre summam gratiam, quæ excederet omnium hominum, & Angelorum collectivè summam gratias, quia omnipotens est; Deicit talem conferre Christo, quia erat Filius DEI, & Caput omnium; ergo eidem fuit collata gratia summa de potentia Dei ordinaria; quia verò qualitas in infinitum intendi potest, sicut quantitas potest augeri in infinitum, ideo gratia habitualis Christi absolute adhuc intendi potest.

Obicitur I. Scotus 3. dist. 13. quest. 2. ait: probabile est dicere, DEUM tantam gratiam contulisse animæ Christi, quantum potuit; potuit autem conferre tantam, quantum creare potuit, potuit autem creare summam; ergo summam contulit. Resp. Doctorem subtilem hæc non protulisse ut certa, sed ut probabilia, quia expressè ait: probabile est dicere, secundum Magistrum. Ita autem locutus est præcisè per excessum ex reverentia erga Christum, nam quest. cit. ait: in commendando Christum malo excedere, quam deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam oporteret in alterum incidere.

ASSERTIO LXVI.

Causa physica proxima impeccabilitatis Christi fuit eius Beatitude. Scholæ subtilis cum suo Doctore. 3. dist. 2. q. 1. contra Thomistas, & recentiores.

Probatur. Beati sunt physicè, & proximè impeccabiles propter Beatitude, ob quam eisdem denegatur concursus ad peccandum: ergo etiam anima Christi (quæ ab instanti conceptionis suæ fuit beata) erit physicè, & proximè impeccabilis propter suam beatitudinem. Deinde unio hypostatica non est forma sanctificans formaliter, ac peccatum excludens, ut dictum Assertionè 64. nec habet annexam inseparabiliter beatitudinem, cum unio hypostatica sit realiter distincta à Beatitude, atque prior: ergo non unio hypostatica reddit animam Christi physicè, & proximè impeccabilem, sed ejus beatitudo.

Obicitur I. Sancti Patres impeccabilitatem Christi referunt in unionem hypostaticam. Respond. dist. tanquam in causam radicalem, & remotam conc. formalem, & proximam Neg. II. Si stante unione hypostatica anima Christi posset peccare, etiam Christus, vel Verbum Divinum posset dici, posse peccare. Respond. dist. Christus, vel Verbum divinum posset dici posse peccare per communicationem idiomatum, sicut dicitur mortuum conc. intrinsecè Neg.

ASSERTIO LXVII.

Meritum Christi non fuit simpliciter, & intrinsecè infinitum, sed tantum extrinsecè, & secundum quid. Scotus 3. dist. 19. q. unica cum suis, contra Thomistas, & recentiores.

Probatur I. Ad meritum Christi concurrunt voluntas humana Christi finita, gratia finita, bonitas moralis, & cognitio finita, & sola Persona, quæ denominatur merens est infinita; ergo, cum effectus sequatur partem debiliorem suæ causæ, meritum Christi nequit esse simpliciter infinitum, sed tantum extrinsecè ob dignitatem infinitam Personæ merentis. II. Christus non potuit plus mereri, quam DEUS præmiare; atqui DEUS nequit dare præmium intrinsecè infinitum: ergo nec meritum Christi potuit

esse intrinsecè infinitum. III. Infinitum Categorematicum creatum implicat: ergo etiam implicat meritum simpliciter infinitum.

Obicitur I. Suppositum Christi merens est intrinsecè infinitum: atqui actiones sunt suppositorum: ergo. Resp. Dist. Min. elicitive Neg. denominative Conc. Min. II. Actiones Christi sunt Theandricæ. Resp. Dist. ideo, quia procedunt à natura humana personata à Verbo Divino Conced. ideo, quia sunt intrinsecè infinitæ. Neg. III. Meritum crefcit ex dignitate Personæ merentis. Resp. Dist. arithmetice Neg. geometricè subd. in rigore Neg. secus Conc.

ASSERTIO LXVIII.

Christi satisfactio pro nostris peccatis erat actus justitiæ, non tamen rigorosæ. Scotus 3. dist. 19. & 20. Scotista, contra Thomistas, & Recentiores.

Probatur. Christus pro nostris peccatis exhibuit DEO condignam satisfactionem ex motivo refarciendi injuriam ipsi per nostra peccata illatam: ergo satisfactio Christi fuit actus justitiæ, non tamen rigorosæ: hæc enim requirit, ut satisfactio fiat ex bonis debito, is, in quæ creditor nullum jus in re, & possessionem habet: atqui satisfactio à Christo facta est ex bonis, in quæ DEUS habuit jus, & dominium perfectissimum; ergo non erat actus justitiæ rigorosæ.

Obicitur I. Satisfactio Christi fuit superexcedens debitum: ergo fuit ex rigore justitiæ. Resp. Neg. Conf. Quia Christus solvit ex bonis, in quæ Deus jus in re, & possessionem habuit. II. Si creditor donet debitori 100. florenos ad solvendum debitum, & debitor per 100. florenos, dono acceptos, solvat creditori debitum, facit actum rigorosæ justitiæ; ergo, licet Deus Christo donaverit gratiam, & merita, & per hæc Christus solverit nostrum debitum, etiam Christus fecit actum rigorosæ justitiæ. Resp. Neg. conf. quia in humanis per donationem transfertur jus in donatarium, non sic fit apud Deum.

ASSERTIO LXIX.

Christus adhuc venisset vi præsentis Decreti, etiam si Adam non peccasset. Ita Doctor noster Subtilis 2. dist. 7. q. 3. cum tota sua Schola, contra Thomistas, & Recentiores.

Probatur I. Christus fuit decretus ad existendum ante Adam, & ejus posteros, Col. 1. Qui est primogenitus omnis creature, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes: quem textum Conc. Ephesinum tom. 1. cap. 4. & Sadicense intelligunt de Christo ut homine: ergo. II. Deus utpote ordinatissime volens, prius vult finem, scilicet suam gloriam, & ad hanc prius, medium perfectissimū, scilicet incarnationem, quam Adamum: ergo. III. Aliàs Incarnatio fuisset tantum bonum occasionatum ad peccatum, & Christus fuisset debitor peccato Adami, fuissetque homines in statu innocentie deterioris conditionis, quam in statu naturæ lapsæ: ergo Christus fuit decretus ante peccatum Adami, adeoque venisset, etiam si Adam non peccasset.

Obicitur I. Sacra Scriptura, & sancti Patres asserunt, Christum venisse, ut salvum faceret, quod perierat genus humanum. Resp. dist. Christum in carne passibili ut redemptionem venisse &c. conc. ut sanctificatorem in carne impassibili Neg.

II. Incarnatio habuisset duos fines totales. R. d. incarnatio secundum idem N. secundum diversâ conc. Nam Incarnationis quoad substantiam finis totalis fuit Excellentia Miserii: quoad modum passibilitatis verò finis, & motivum totale fuit redemptio generis humani. Dices: Etiam incarnatio quoad substantiam fuit medium necessarium ad redemptionem generis humani: ergo etiam incarnatio quoad substantiam fuit decreta propter redemptionem generis humani. Resp. d. consequens: fuit decreta decreto primo intentione, neg. conseq. Decreto Executivo, hoc est, fuit à Deo ordinata post prævium peccatum originale ad redemptionem generis humani, seu ejus fructus, & merita relata ad satisfaciendum pro peccato originali conc. conf.

III. In statu innocentie Christus habuisset carnem passibilem: ergo non venisset impassibilis. Resp. dist. anteced. Christus habuisset carnem intrinsecè passibilem, prout passibilem ab extrinsecò, neg. ant. cum conf. siquidem Christus in statu innocentie habuisset carnem (non quidem gloriosam, qualem de facto habet in cælo: nam debuisset concipi, generari, nutrirî, augmentari, & esse viator in statu innocentie) sed impassibilem ab extrinsecò, qualem habuit in statu peccati. Suppl. Theol. Sacram.

buit Adam in statu innocentie. Dices: Deus non habuit Decretum de impassibilitate carnis Christi: aliàs de facto venisset in carne impassibili: ergo. Resp. dist. ant. Deus nō habuit Decretum absolutum de impassibilitate carnis Christi conc. ant. Conditionatum neg. ant. cum conseq. cum enim Deus evidenter sciverit, Christum, si Adam non esset peccaturus, venturum in carne impassibili, ideo etiam debuit habuisse Decretum ex parte actus absolutum, & ex parte objecti conditionatum, quo decrevit, Christo, si Adam non esset peccaturus, dare carnem impassibilem: cum futura etiam conditionata videat Deus in Decretis ex parte actus absolutis, ut supra dictum, & conditionatis solum ex parte objecti: quæ deinde purificata conditione, seipsam, etiam ex parte objecti transeunt in absoluta.

IV. Juxta Scotistas, in statu innocentie, si Adam non peccasset, non fuisset instituta Eucharistia: ergo nec Christus venisset in statu innocentie, si Adam non peccasset. Neg. conseq. Disparitas est, quia incarnatio quoad substantiam fuit opus Dei excellentissimum, & nobilissimum ad extra, adeoque non debebat intendi propter peccatum, sed propter se, etiam si nullum fuisset peccatum. E contra institutio Eucharistiæ non fuit opus Dei excellentissimum, & consequenter jam poterat eligi à Deo tanquam medium ad subveniendum naturæ per peccatum originale corruptæ; hoc autem scilicet peccatum originale, non fuisset, si Adam non peccasset, adeoque nec tunc fuisset instituta Eucharistia. Quod ulterius colligitur ex eo, quia in Patria erit incarnatio quoad substantiam, & Christus: non tamen ibi erit Eucharistia, adeoque hæc non est intentata propter se sicuti incarnatio quoad substantiam, & præcisè ad subveniendum naturæ per peccatum corruptæ, sicuti etiam propter hoc motivum est decreta passibilitas, & mors Christi.

ASSERTIO LXX.

Unica tantum fides est salvifica. Ita docet Ecclesia Catholica contra Libertinos, & indifferentistas.

Probatur. Quia Eph. 4. ait S. Paulus: unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, & Christus Matth. 17. Si Ecclesiam non audierit; he tibi sicut Erhnicus, & Publicanus. Ratio est, quia Deus nequit revelare contradictoria, cum nec falli, nec fallere possit: atqui si duæ diversæ fides essent veræ, Deus revelasset contradictoria; ergo unica tantum fides est vera, & salvifica.

Obicitur I. Multi infideles inculpabiliter putant, suam fidem esse salvificam: ergo saltem tales salvabuntur. Resp. dist. conf. vi fugiendæ n. propter suam ignorantiam inculpabilem, modò tamen credant articulos fidei Catholice necessarios necessitate mediè, sperent, & ament Deum, & eliciant contritionem perfectam, si sint in peccato mortali c. conf.

ASSERTIO LXXI.

Deus sub ratione primæ Veritatis in revelando est obiectum formale fidei Divinæ. Scotus q. 1. Prologi, cum suis, & Thomistis.

Probatur. Ultima ratio, cur fide Divina credamus articulos fidei infallibiliter, est hæc, quia Deus, qui est prima veritas in revelando, seu qui nec falli, nec fallere potest, eisdem revelavit: ergo Deus sub ratione primæ veritatis in revelando, est obiectum formale fidei divinæ.

Obicitur I. Veritas divina ulterius resolvitur in Deitatem. R. d. tanquam in rationem assentiendi n. essendi c. I. Veritas Divina resolvitur in attestatorem Ecclesiæ tanquam in rationem assentiendi. R. d. à priori n. à posteriori c. III. Ipsa Veritas Divina in revelando etiam creditur fide divina: atqui non propter seipsam: ergo propter aliud obiectum formale. R. n. min. quia quod est alteri ratio essendi tale, seipso est tale. IV. Ratio assentiendi debet esse notior ipso obiecto, cui assentimur; atqui veritas Divina non est notior obiectis revelatis: ergo non est ratio assentiendi. Respondeo distinguo maiorem, in assensu scientifico concedo, in assensu obscuro nego majorem. V. etiam ipsa revelatio determinat intellectum ad assensum Fidei. Respondeo distinguo ratione sui nego, ratione veracitatis divinæ c.

ASSERTIO LXXII.

Um evidentia revelantis potest consistere fides infusa circa rem revelatam. Scotus 3. d. 24. qu. unica cum suis, ac pluribus Recentioribus contra alios.



Probatur. De essentia fidei est, ut nitarur auctoritate dicentis, sive evidenter confitetur de dicente, sive non, ut patet in fide humana: ergo, licet alicui evidenter confitetur de revelante DEO, poterit tamen elicere actum fidei Divinae circa rem revelatam, quae manet adhuc obscura; aliam primum Angelus in via non habuisset fidem, cum eidem DEUS revelans fuerit evidens.

Objicitur I. Stante evidentiā revelantis DEI, veritas rei revelatae est evidens. R. D. per medium intrinsecum, & ex natura rei connexum cum re revelata N. per medium extrinsecum rei revelatae, nec cum ea ex natura connexū C. II. Per Creaturas DEUS est evidens, etiam si Creaturae DEO sint extrinsecae R. D. Creaturae sunt DEO extrinsecae in essendo C. in cognoscendo Neg. quia Creaturae productae habent intrinsecam, & necessariam connexionem cū DEO tamquam sua causa. III. Cum evidentiā revelantis DEI, assensus fidei non foret liber circa rem revelatam. Resp. Neg. quia intellectus non necessitatur, quoad exercitium actus, nisi circa objectum intrinsecè evidens.

ASSERTIO LXXIII.

Sacra Scriptura continens libros à Concilio Tridentino sess. 4. specificatos, in veteri vulgata latina editione est verum verbum DEI. Contra Calvinistas, Lutheranos, & alios Hæreticos.

Probatur I. Quia Ecclesia Catholica habet, & jam à mille serè annis habuit pro Canonis, libros Sacrae Scripturae à Concilio Tridentino specificatos, nam Innocentius I. epist. 3. ad Exuperium c. 7. anno 402. Libros vulgatae editionis jam habuit pro Canonis. II. Quia una est vera fides in Ecclesia Christi: ergo etiam una vera Sacra Scriptura, at non alia, quam vulgatae editionis, utpote à tot SS. Patribus approbata: ergo.

Objicitur I. Judæi non habent omnes libros veteris Testamenti specificatos pro Canonis: ergo non sunt Canonici. R. N. conf. quia Ecclesia Christi in fide infallibilis, hos declaravit ut Canonis. II. In libris sacrae Scripturae specificatis reperitur contradicōnes: ergo non sunt verum verbum DEI. R. D. Ant. Reperitur contradicōnes veræ N. apparentes C. Ant. & N. consequent. nam ubi in Sacra Scriptura apparet contradicō, explicanda est, quod vel loquatur de alia persona, vel de alio loco, vel de tempore, vel in alio sensu &c.

ASSERTIO LXXIV.

Præter Verbum DEI scriptum datur etiam Verbum DEI non scriptum, seu traditum. Contra Lutheranos, & Calvinistas.

Probatur I. Joan. 21. Sunt autem, & alia multa, quae fecit JESUS, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbor mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros 2. Thess. 2. Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. II. Credimus fide Divina scripturam veteris, & novi Testamenti esse verum Verbum Dei; atqui hoc non credimus, quia scriptum est, in qua enim scriptura scriptum hoc est? ergo propter Verbum DEI traditū.

Objicitur I. Deuter. 4. Non addetis ad Verbum, quod vobis loquar. Resp. Non addetis quidquam ei contrarium. II. Matth. 15. Quare, & vos transgredimini Mandatum DEI propter traditionem vestram? Resp. scilicet humanam, & vanam, non Divinam, aut Apostolicam. III. Traditiones non possunt tandiu conservari. Resp. Dist. per providentiā humanam C. Divinam N. IV. 2. Timoth. 3. Omnis scriptura Divinitus inspirata utilis est ad docendum. Resp. sed non sola utilis est, nec sola sufficiens ad docendum sine Verbo DEI tradito.

ASSERTIO LXXV.

Sola Romana Ecclesia est Vera DEI, & Christi Ecclesia. Contra omnes infideles.

Probatur. Sola Romana Ecclesia habet notas veræ Ecclesiae, nam est Una. 1. Quia habet unum caput, scilicet Romanum Pontificem. 2. Quia est una in credendis fidei articulis: est Sancta. 1. Sanctitate Doctrinae. 2. Vitæ. 3. Et Miraculorum. Est Catholica. 1. Quia per totum orbem diffusa. 2. Et per omnes nationes. 3. Quia fuit omni tempore, nimirum à tempore Christi usque nunc, & erit usque ad finem mundi: Est Apostolica. 1. Quia in Apostolis habuit initium. 2. Per eosdem fuit propagata. 3. Tenet eorum Doctrinam. 4. Quia tetinet non interruptam Episcoporum successione ad sua usque tempora; quæ adèd vera sunt, ut etiam oculis conspici, & manibus palpari

quant; atqui nulla alia Ecclesia habet has quatuor notas, ut iterum manifestum est: ergo sola Romana Ecclesia est vera DEI, & Christi Ecclesia.

Objicitur I. Catholicorum Doctrina non est Una. Resp. D. in iis, quæ sunt de fide N. in aliis, C. II. Catholicis sunt mali. Resp. D. vitio fidei, & Religionis, N. vitio proprio T. III. Ecclesia Romana est Ecclesia particularis. Resp. D. ut est sub Episcopo Romano tamquam speciali Pastore universali. N.

ASSERTIO LXXVI.

Vera Christi Ecclesia debet esse visibilis. Contra Lutherum, & alios Hæreticos.

Probatur I. Quia Christus suam Ecclesiam comparat civitati supra montem posite. Matth. 5. Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Matth. 13. Convivio nuptiali, ad quod boni, & mali vocati sunt, Matth. 22. sed hæc sunt visibilia: ergo etiam Ecclesia. II. Christus Matth. 18. ait; Dic Ecclesia. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus, & Publicanus; sed quomodo Ecclesiae poterit aliquid dici, aut ab illa audiri, si visibilis non sit? III. In Ecclesia Christi Episcopi, & Pastores visibiliter gubernant, & docent suos subditos, Sacramenta administrant celebrant Concilia: ergo est visibilis.

Objicitur I. Fide credimus Ecclesiam: ergo non est visibilis. Resp. D. ant. Fide credimus Ecclesiam, id est, homines profitentes fidem Christi sub Romano Pontifice N. ant. id est, credimus veram esse doctrinam Christi, quæ in Ecclesia traditur C. ant. II. Non venit Regnum DEI cum observatione. Luc. 17. Resp. Ser. no est de Regno DEI in iustis per Gratiam, quod est invisibile; non de Regno Ecclesie, quod est visibile; quia non est sub modo Ecclesia, sed supra candidalabrum. Ait S. Aug. l. de unit. Eccl. c. 16.

ASSERTIO LXXVII.

Vera Christi Ecclesia durabit usque ad finem Mundi. Est de fide.

Probatur. Quia Matth. 16. ait Christus: Super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & Portæ inferi non prevalebunt adversus eam. Et Matth. 24. predicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Matth. 28. Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, & Eph. 4. ait S. Paulus: ipse dedit quosdam Apostolos, Pastores, Doctores &c. ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in adificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei &c. Ergo Christi Ecclesia durabit usque ad finem Mundi.

Objicitur I. Synagoga defecit: ergo etiam Ecclesia deficere poterit. R. D. ant. Synagoga defecit, quantum ad figuras G. ant. quantum ad figuratum. N. ant. quia Synagoga fuit figura Ecclesiae, adèdque hæc præsentem, illa cessare debuit, neque illi promissa perpetuitas, sicut Ecclesie. II. Ecclesia comparatur Lunæ; atqui hæc deficit: ergo etiam Ecclesia. R. D. Maj. in omnibus N. in uno, scilicet quod à Christo habeat suum lumen spirituale, sicut luna à sole habet lumen corporale C.

ASSERTIO LXXVIII.

Vera Ecclesia Christi est infallibilis in decidendis fidei articulis. Contra Lutheranos.

Probatur. Quia Christus Joan. 14. inquit: Ego rogabo patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis. Et Matth. 28. Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. S. Paulus 1. Timoth. 3. ait: Ecclesia DEI vivi est Columna, & Firmamentum veritatis: ergo Ecclesia in fide errare non potest: accedit rario; quia si Ecclesia errare posset, nihil posset certo, & infallibiliter credi; quia sine declaratione, & Auctoritate Ecclesie non constat nobis infallibiliter, quænam Scriptura sit verum DEI Verbum; sed consequens nequit admitti: ergo nec antecedens, ex quo etiam inferitur, Concilia generalia à Summo Pontifice confirmata errare non posse in decidendis fidei controversiis, cum repræsentent totam Ecclesiam.

Objicitur. Concilium Ariminense erravit in subscriptione hæresis Arianae, & Ephesinum II. in recipiendo Euthyche: ergo Ecclesia non est infallibilis. Resp. N. conf. quia fuerunt Concilia Acephala, non approbata à Summo Pontifice Romano.

ASSERTIO LXXIX.

Pontifex Romanus est verus Christi Vicarius successor Petri, & caput visibile veræ Ecclesiae Dei, & Christi. Contra Hæreticos.

Probatur. S. Petrus fuit verus Christi Vicarius, et caput visibile militantis Ecclesiae, Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Joann. 21. Ego oves meas: atqui Pontifex Romanus est in officio pastorali successor sancti Petri; ergo Pontifex Romanus est verus Christi vicarius, et caput Ecclesiae. Prob. min. 1. Quia S. Petrus Romæ cathedram Pontificalem tenuit usque ad mortem. 2. Quia Concilium Florentinum statuit; Definimus, sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universam orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput. 3. Quia Pontifex Romanus à nemine potest judicari teste Concilio Synuesano. Quia Episcopi ad Romanum Pontificem possunt appellare, ab ejus verò sententia, nulla amplius datur appellatio ex Concilio Sardienensi: ergo.

Objicitur. Sanctus Petrus etiam Antiochiæ fuit Episcopus. Respond. Sed ibi suam sedem stabiliter non fixit usque ad mortem.

ASSERTIO LXXX.

Summus Pontifex est supra Concilium. Ita Catholici.

Probatur. Ex Concilio Florentino part. 2. collat. 22. et Lateranensi sub Leone X. sess. 11. definitibus solum Romanum Pontificem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem &c. Idem patet propositione 29. damnata ab Alexandro VIII. Futilis, & iotes convulsa est assertio de Romani Pontificis supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei questionibus decernendis infallibilitate: Ratio est: I. Quia Christus Petro tamquam capiti distincto à reliquo corpore Ecclesiae dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Matth. 16. II. Quia pastor est supra oves, et ovile. III. Quia in synodo Synuesana, et Romana prohibetur summa, & prima Sedes judicari. IV. Quia non datur appellatio à Papa ad Concilium, bene verò e contra. V. Quia nullum Concilium valet, nisi convocatum, et confirmatum à Summo Pontifice. VI. Denique non potest esse minor auctoritas summi Pontificis in lege Evangelica, quam fuerit summi Sacerdotis in lege Moisaica, sed summa potestas erat penes summum Sacerdotem, qui in Pontificali officio erat constitutus, quantumvis ferret sententiam in magno Concilio Judæorum, nec à summo Sacerdote dabatur appellatio ad Concilium, ut constat Deut. 17. ubi dicitur: qui autem superbiert, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille: Ubi non dicitur: Qui noluerit obedire sacerdotum Concilio, sed sacerdotis summi imperio: ergo non minoris auctoritatis erit summus Sacerdos in lege Evangelica, quæ longè excedit Moisaicam: et consequenter etiam erit supra Concilium.

Objicitur I. Concilium Constantiense definit, quod Concilium universale habeat immediatam potestatem à Christo, cui quilibet cuiuscunque dignitatis, et conditionis sit, etiam si Papalis, obedire teneatur: ergo. Resp. Concilium velle, quod tempore schismatis, quale tunc erat, quando non constat certè de vero summo Pontifice possint præterentes Papatum cogi ad eum deponendum. II. Concilium Basileense sess. 2. expressè definit: Concilium esse supra Papam. Resp. Hoc Concilium non fuisse validum: nam licet hoc Concilium ab initio legitime congregatum fuerit, tamen postquam ab Eugenio Papa se separavit, et contra ipsum insurrexit, in schismaticum, & Acephalum conciliabulum declinavit: idèdque ab Eugenio meritò dissolutum omnique valore exutum, eique aliud Concilium Florentinum substitutum fuit. III. Ergo frustra erunt Concilia, si non haberent majorem, vel æqualem auctoritatem, quam ipse Papa. Resp. N. illatum quia habent adhuc maximam vim, auctoritatem, et utilitatem, cum plurimi viri sanctitate, sapientia, et experientia præstantissimi ex toto orbe terrarum in Conciliis conveniant, quorum communia suffragia ad refellendas noxias opiniones, abusus, et hæretica dogmata tollenda plurimum conducunt. IV. Summus Pontifex est membrum Ecclesiae: ergo non est major Ecclesia. R. D. Summus Pontifex est membrum Ecclesiae quodcumque N. principale, et caput in cæteris membris influens in quo est plenitudo potestatis, à quo cæteri Prælati sibi propriam participant, omnibusque fidelibus veram fidei, Supplem. Theol. Sacram.

& morum doctrinam proponit C. Quinimò falsum est Ecclesiam, ut contra distinctam à Papa esse totum: nam Ecclesia est corpus: corpus autem Membris constat, & capite, quod est summus Pontifex.

ASSERTIO LXXXI.

Summus Pontifex ex Cathedra loquens est infallibilis in suis definitionibus circa materiam fidei, & morum etiam extra Concilium. Est tota Catholica.

Probatur I. Si summus Pontifex non esset infallibilis in suis definitionibus, Ecclesia posset errare contra promissionem Christi: portæ inferi non prevalebunt adversus eam. Matth. 16. ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Luc. 22. II. Si summus Pontifex non esset infallibilis, Ecclesia non foret sancta contra symbolum Apostolicum, cum falsa pro veris, inhonesta pro honestis posset recipere ex definitione summi Pontificis. III. Christus Dominus soli Petro extra Concilium dixit, Joann. ult. pascere oves meas: ergo tota Ecclesia illum audire, & sequi tenetur: adèdque si ille erraret, vel errare posset, tota Ecclesia posset errare. IV. Quid si in Concilio generali Episcopi dislicerent à Papa circa articulum fidei definiendum, quid tunc ferret? non esset ullum remedium, nisi pro tunc aliquis iudex infallibilis esset, non autem in eo casu Concilium esset iudex, quia Concilia à Papa dissidentia errare possunt, & errarunt; testat igitur, ut Papa sit iudex infallibilis, & errare non possit. V. Multi Papæ sine Concilio canonizarunt sanctos; sed in hoc nec errarunt, nec errare possunt: ergo si Papa in uno non potest errare extra Concilium, nec poterit in alio: & per consequens summus Pontifex est infallibilis, etiam extra Concilium, cum Concilium convocare semper sit impossibile: & à Pontificibus sine Concilio damnati sint errores Pelagii, Priscilliani, Joviniani, Vigilantii, &c. qui hoc ipso habiti sunt pro hæreticis à tota Ecclesia, ut refert Bellarminus l. 4. c. 3. ergo.

Objicitur I. Omnis homo mendax. Resp. D. cui non est promissa assistentia Spiritus sancti C. cui est promissa, sicuti Papæ N. II. Papæ errarunt. Resp. D. quæ privati Doctores C. quæ pastores universales ex cathedra loquentes N. III. Papa qua Persona privata posset fieri hæreticus: ergo posset aliquid hæreticum definire. Resp. N. ant. quia Christus Luc. 22. illis verbis: ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu confirma fratres tuos: non solum Petro, & ejus successoribus impetravit, ut tamquam Pontifex, & ex cathedra docens nihil contra fidem proponeret Ecclesiae, sed ut nec ipse personaliter in fide erraret, nam si errasset, jam ipsius fides defecisset, & falsa fuisset oratio Christi, quod nemo, nisi blasphemus dixerit. Et hoc patet ex S. Augustino de corrept. & grat. c. 8. ibi; Quando rogavit ergo, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit; nisi, ut haberet, in fide libertatam, fortissimam, inviolatissimam, perseverantissimam voluntatem.

ASSERTIO LXXXII.

Si de fide, Innocentium XIII. esse verum Summum Pontificem. Ita Catholici.

Probatur. Ex Bulla Martini V. decernentis, ut hæretici revertentes interrogentur, utrum credant, quod Papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor Beati Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei? Ratio est: quia de fide est hanc numero Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, ergo etiam de fide erit huic numero Romanum Papam esse verum summum Pontificem. II. Quia hæc propositio: Innocentius Decimus Tertius est verus summus Pontifex, continetur immediate in hac propositione revelata: Omnis Pontifex à tota Ecclesia pacifice receptus est verus Papa. III. Definitiones Innocentii XIII. ex cathedra loquentis sunt de fide, atqui non essent de fide, nisi esset de fide Innocentium XIII. esse verum Papam: ergo.

Objicitur I. Non est revelatum Innocentium XIII. esse validè baptizatum, canonice electum, &c. Respondeo, distinguo, non est revelatum explicitè Conc. implicitè per pacificam Ecclesiae universalem receptionem Neg. II. Non est de fide in hac numero consecrata hostia esse corpus Christi: ergo Respond. Neg. consequentiam, disparitas est: quia non est certum, an hæc hostia sit validè consecrata, secus est de acceptione Papæ.

ASSERTIO LXXXIII.

Amor vite, & Amor patriæ differunt specie. Scotus 3. dist. 31. quæst. unice, cum suis, & aliquibus Thomistis, & Recentioribus.